

16



10. 11. 17

294² gm



49
198
MEDICATIO DUORUM ÆGRORUM,
V A R I O L I S,
E T
P A L P I T A T I O N E
C O R D I S, L A B O R A N T I U M:

Q V A M,
D E O O P T. M A X. A U X I L I A N T E,
S U B P R Æ S I D I O
V I R I C L A R I S S I M I
D. H E N R I C I R E G I I,

Reip. Ultraject. P O L I A T R I & M e d i c i n æ
P r o f e s s o r i s O r d i n a r i i, a c P h i l o s o p h i e x i m i i,

Publicæ disquisitioni exhibet

A B R A H A M U S P A R E N T, S l u s â - F l a n d.

Ad diem 9. Octobris, horâ nonâ matutinâ.



T R A J E C T I A D R H E N U M,
T Y P I S *Theodori ab Ackersdyck, & Gisberti à Zyll,*

c l o. l o. c. l i i.

Clarissimis, Doctissimis, Versatissimis, piissimis Viris,

D. IOHANNI van DORTH,
Ecclesiae Slusanae Belgicae & Gal-
lo-Belgicae, Pastori facundissimo,
Theologo versatissimo. } Huic Sororis
meae marito
dilectissimo.

D. HENRICO REGIO,
Medico & Philosopho acutissimo,
Reipub. Ultrajectinae Poliatro,
Medicinae ac Botanices & Anato-
mes Professore doctissimo. } His Praesidi
& Praecepto-
ribus vene-
randis, hono-
ratis.

D. ISBRANDO DE DIE-
MERBROECK, Med. Doct.
peritissimo & in Inclytâ Ultraje-
ctinâ Acad. Med. Practicae & A-
natomes Professore versatissimo. }

D. ABRAHAMO WILSENIO,
Ecclesiae Mudensis Pastori vigi-
lantissimo, orthodoxae religionis
defensori strenuissimo, in linguis
versatissimo. } Illi quondam
Rectori gra-
tissimo de stu-
diis meis be-
ne meritis.

Hanc disputationem

O F F E R T

A. P A R E N T

M E D I C A T I O P U E R I
 V A R I O L I S
 A F F L I C T I.

1. **P**uer sex annorum, grassante inter infantes, ex aëris maligna constitutione, febris synochâ malignâ, ecchymata protrudere solitâ, post horrores præeuntes, calore præternaturali correptus decumbit. Pulsus febrilem, plenum, & celerem habet. Facies oculique rubent. De dolore nullo conqueritur.

2. Afficitur in hoc ægro totum corpus, quod ex horrore & calore per totum corpus diffuso; item cor, quod ex commemoratis pulsus vitiis; nec non oculi & facies, quod ex eorum rubore patet.

3. *Morbis*, quo hic puer laborat, est febris synocha maligna & contagiosa, quæ, ecchymata sive pustulas in cute totius corporis expellere solita, *variolarum* nomine vulgò designari solet. Exque ex aëris maligna constitutione, infantes multos variolis inficiente; item ex calore, post horrorem, puerum invadente; nec non ex pulsu febrili; ac oculorum & faciei rubore, & doloris absentia innotescunt.

4. *Causa procatartica* hujus morbi est aëris constitutio illa maligna, quæ in puero hoc, per inspirationem, hausta, & cum sanguine in pulmonibus existente mixta, & deinde cum reliquo sanguine per totum corpus diffusa, & illum pravitate maligna imbuens, *antecedentem* huic morbo præbuit causam. Pars vero ejus malignam effervescentiam in corde acquirens, & deinde in totum corpus cum sanguine à corde in partes propulsa, *continens* hujus morbi & symptomatum, tum præsentium, tum futurorum, est, & erit, causa.

5. Dum enim sanguis ille primum effervescens aqueas continebat partes, quæ sua aquositate justam in corde fervorem impedi-

diebant, eaque ad membranofas corporis partes deinde delatae, refrigerationem & inordinatum spirituum influxum toti corpori inducebant, hinc primum in puero ortus est *horror*. Aqueis vero partibus discussis, calor sanguinis justò major factus, & per totum corpus diffusus, produxit *pulsus plenum & celerem*, ac in facie & oculis *ruborem*, ac in toto corpore *calorem præter naturam* intentum. Quia tamen partes sanguinis effervescentes in hoc puero hactenus sunt leniores & minus acres, ideo *nullus vehementior ab ipso sentitur dolor*.

6. Morbus hic, propter suam malignitatem, periculum vitæ, & deformitatis, ab exesione cutis, à papulis postea orituris forsan excitanda, inducit.

7. *Curatio* itaque diligens adhibenda erit; eaque in causæ antecedentis & continentis ablatione, & intemperiei malignæ sanguinis, & symptomatum correctione, consistet.

8. Ante omnia, itaque contineatur in loco calido stragulis bene tectus; mox, antequam ecchymata erumpunt, purgetur tali medicamento:

℞. *syr. ros. fol. cum fol. senna & rhabarb. ℥jβ.*
scammonii opti. gr. ij.
aq. card. bened. ℥j. misce pro haustulo, mox sumendo.

Ubi pustulæ erumpere incipient, ad facilitandam earum eruptionem, utatur tali decocto:

℞. *cicerum rubrorum. ℥j.*
hord. decorticati. p j.
caricas No. vij.
lacca, tragacanth. an. ℥j.
rad, fenic. passular. an. ℥β.

Decoq. in aq. comm. q. s. ad ℔j. β. Colatura adde oxysacchari ℥ij. m. pro Apozemate, de quo sumat haustum ter quaterve in die.

Et pro potu ad sitim extinguendam utatur decocto passularum, caricarum, & hordei, cui ex additione rob. de ribes acetositas sit conciliata.

Cum oculi facile exulcerentur à variolis, pro præservatione eorum

eorum, palpebræ illinantur hoc collyrio:

℞. aq. plantag. euphragiae an. ℥j.
 camph. ℥j. croci gr. ij.
 m. pro Collyrio.

Ad gulæ faucium & oris defensionem, utatur tali gargarismo,
 vel oris collutione:

℞. aq. plantag. ℥j. aq. hord. ℥β.
 flor. ros. rubr. p. j. balaustior. ℥jβ.
 sem. sumach ℥ij, Decoq. ad tertias,
 Colaturæ adde syr. diamori, granat. an. ℥j.
 M. F. Gargarisma, quo os sæpe colluatur.

Si alvus adstricta fuerit, talis Clyster injiciatur:

℞. herb. malva, mercurialis,
 acetosa recentis an. m. j.
 flor. cord. p. j. lentium, hord. cicer. rubr. an. p. j. Decoq.
 in jure gallinaceo q. s. ad ℥vij, in colat. dissol. diapruni. diacar-
 thami an. ℥β. mellis violacei ℥j. ol: violac. amygd. dulc. an. ℥ij.
 M. F. Clyster.

Ut pustulæ melius erumpant, & maturescant, illæ subinde ol:
 amygd. dulc. cum cotone vel pluma sunt oblinendæ.

Ad nares defendendas admoveatur iis sæpe cum spongia hoc
 medicamentum:

℞. aceti rosacei ℥j.
 aq. rosar. ℥ij. *Misce.*

Si viribus forsan fuerit prostratis, vel debilioribus, subinde
 sumat cochlear de sequenti cardiaco:

℞. syr. de limonibus.
 aq. cinamom. an. ℥j.
 confect. alkerm. ℥ij. *Misce.*

9. Postremo curandum, ut color fædus, & vestigia variolarum,
 faciem ut plurimum deformantia, auferantur; Præservatur au-
 tem facies, si pustulæ, cum jam maturuerunt & albescunt, acu
 circumcirca compungantur, ut materia purulenta, quæ pruri-
 tum, dum exsiccat, excitando, pueros ad scalpendam & lace-

002
randam faciem impellit, commode egrediatur & abstergatur. Alioqui si relinquatur, donec penitus exsiccet, cutim exedit, & foedas cavitates relinquit: vel, si sponte effluit, vicinas partes inficit & exulcerat.

10. In *victus ratione* aer sit calidiusculus, ut poros aperiat, & materiam malignam foras eliciat. *Victus* primo sit tenuis ubi humoris eruptio facta est, & mitigata sunt symptomata vehementiora, tum paulo liberalior concedi potest; non tamen acris, pinguis, dulcis, vel salsus; sed moderate refrigerans. Potus sit cerevisia tenuis, in qua subinde decoqui potest limatura cornu cervi; vel pupella cum cornucervi preparato in cerevisia suspendi poterit. Somnus sit mediocris, excretiones consuetæ secundum naturæ modum procedant. Fugiatur timor & mæstitia.

MEDICATIO JUVENIS PALPITATIONE CORDIS LABORANTIS.

1. **I**uvenis 25. annorum, biliosus, dum æstivo tempore se vehementius exercebat, incidit in vehementissimum & inordinatum cordis arteriarumque motum, qui ipsum adeo torquebat, ut penè in syncope incidere. Postea ex levi excandescencia vel alio vehementiore animi motu, eodem affecto sæpius correptus fuit; & jam nunc novum patitur paroxysmum.

2. Afficiuntur in hoc ægro cor & arteriæ: quod ex vehementi & inordinato illo eorum motu, & syncope pene insequente, patet.

3. *Morbus*, qui ægrum torquet, est intemperies biliosa & acris sanguinis, qui in corde & arteriis vehementem & inordinatum motum dilatationis & detumescentiæ efficiens, *Palpitatio cordis* vulgo appellari solet.

4. *Procatartica* hujus morbi *causa* est ætas Juvenilis & intemperies biliosa nostri ægri: hic enim multi biliosi & acres in corpore ejus sunt geniti humores, qui *antecedentem* huic morbo præbuerunt

buerunt causam. Pars vero eorum primò vehementioribus illis exercitiis, ab ægro nostro æstivo tempore factis, & deinde etiam vehementioribus animi pathematis, à reliquo sanguine separata, & deinde ad cor delata, illudq; vellicans, & effervescentiam pravam ibi efficiens, *continens* hujus morbi & symptomatum est causa.

5. Ex vellicatione enim ista, à biliosis & acribus humoribus in corde facta, defertur ille motus pravus, per nervum sextę conjugationis, ad cerebrũ, cerebriq; spiritus; quo pori cerebri ita aperiuntur, ut spiritus, in cordis fibras vehementius inordinatiusq; fluentes *inordinatum vehementemque illum motum*, qui palpitationis cordis nomine vulgo indigitatur, inducant. Quia autem per vehementẽ inordinatumque illum motum spiritus & utiles sanguinis partes valde dissipabantur, sanguisq; reliquus ad dilatandum ineptus evaserat, hinc parum abfuit, quin in syncopen æger noster incideret.

6. Morbus hic periculosissimus est: quia cor, omnium partium pars nobilissima, adeo graviter afficitur, ut lethalis syncope inde sit metuenda.

7. *Curatio* itaq; diligenter instituenda; quę in causę procatarctice, antecedentis & continentis, & intemperiei ablatione, consistet.

8. Primo itaque per triduum tali utatur medicamento:

℞. syr: de succo acetosæ, de acetos. citri, de ribes an. ℥j.
aq. cichor. borrag. bugloss. an. ℥iij. m. f. Iulapium,
quod sumat quotidie jujunus, per triduum.

Postea tali purgetur potione:

℞. rhabar. elect. ℥jß.
spica ℥j. aq. cichor. ℥iij. post levem ebullitionem
insundantur per noctem, Colatura adde diaprunis ℥iij.
syr. ros. solut. ℥j. m. F. Potio.

Evacuato corpore, quotidie matutino tempore utatur de tali electuario, tribus horis ante pastum, magnitudine castaneę majoris:

℞. conserv. rosar. violarum, buglossæ an. ℥ß. meliss. ℥iij.
spec. diarhod. abbatis, diatrium sant.
diamargarit: frigid. an. ℥ij.
ossis de corde cervi, sem. citri an. ℥j.
coralli rubri ℥j. cum syr. de limonib. q. s. F. Electuarium. Et

Et hoc epithema cordi mane & vesperi ante pastum admoveatur tepidum: ʒ. Corall. rubr. & albi.

santalor. omnium,
sp. diamargariti frigid. an. ʒj.
croci ʒj. camphora gr. ij.
aq. rosar. ℥β. borag. bugloss. an. ʒij.
acet. vini opti. parum. M. F. Epithema.

Post usum epithematis talem sacculū cordis regioni admoveat;

ʒ. flor. ros. rubr. exsicc.
bugloss. borag. sicc. an. ʒj.
flor. meliss. exsicc. ʒj.
santal. omnium an. ʒj. β.
ossis de corde cervi pulv.
corall. rub. pulv. an. ʒj.
behen alb. & rubr. an. ʒj.

omnia in pulverem redacta includantur sacculo serico, multis locis intersuendo, qui aq. rosacea perfusus, & in olla munda calefactus applicetur regioni cordis.

In Victus ratione aer sit temperatus. Cibis eupeptus; elixus potius, quam assus, succo limonum conditus. Potus sit cerevisia mediocris & vinum tenue. Fugiat vehementem corporis motum, & vehementiora animi pathemata. Somnus sit moderatus; Alvus respondeat natura vel arte.

C O R O L L A R I A.

1. Sanguis Menstruus non est causa variolarum
2. Febris est incalescentia sanguinis in corde, naturali interdum major, interdum minor, sed semper malignior.
3. In diabete urinam non mutatam per vesicam reddi est impossibile,
4. Tria illa verba (Baltasar, Melchior, Gaspar) quae Epilepticis vulgo in aure susurrantur, nullam sanandi vim habent naturalem.
5. In vertigine imaginatio non laeditur.
6. Chylus etiam ingreditur venas meseraicas & gastricas.
7. Arsenicum non est venenum.
8. Pili & unguis sunt partes corporis.
9. Non datur quies in puncto reflexionis.
10. Nunquam generatur novus motus, nec motus unquam perit.
11. Terra, aqua & aer praeter motum gravitatis, qua ad centrum telluris descendunt, habent etiam motum diurnum, quo circum globi telluris axem, & annuum quo circum solem volvantur. FINIS.




00 A 6396

ULB Halle 3
002 928 167



St





49

MEDICATIO DUORUM ÆGRORUM,
V A R I O L I S,
 ET
P A L P I T A T I O N E
 CORDIS, LABORANTIUM:

Q V A M,

DEO OPT. MAX. AUXILIANTE,
 SUB PRÆSIDIO

VIRI CLARISSIMI

D. HENRICI REGII,

Reip. Ultraject. POLIATRÆ & Medicinæ
 Professoris Ordinarii, ac Philosophi eximii,

Publicæ disquisitioni exhibet

A B R A H A M U S P A R E N T, Slusâ-Fland.

Ad diem 9. Octobris, horâ nonâ matutinâ.



TRAJECTI AD RHENUM,
 TYPIS Theodori ab Ackersdijck, & Gisberti à Zijll,

clo. lo. c. LII.

ex obstructione plexus choroidis.

io convenit.

apote quodam peculiariter corrupto, qui,
 circulationem in cerebrum per arterias
 in spiritibus animalibus, ex quâ mixturâ
 antissima oritur spirituum animalium ef-
 fur totius corporis inordinata convulsio,
 in animalium læsione conjuncta.

stillata in hoc affectu præstans esse judi-

non ad sit plethora, mortem minatur.

plas expellentibus acida admiscere non est

, assu

ssimo

romel

lac no

intef

edian

lavia

cas al

scend

